



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

66. De non jejunando in vigilia S. Joannis Baptistae quando contingit in die solen[n]itatis Corporis Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10456**

etiam pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma de hoc servanda foret, illorum omnium tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2. Julij 1636. Pont. nostri anno 13.

De non jejunando in vigilia S. Joannis Baptistæ, quando contingat in die solemnitatis Corporis Christi.

LXVI.

Part. 1. tit. 2. gloss. 5. à n. 8.

URBANUS *Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.*

**C**Um evenire quandoque possit, ut vigilia Sancti Joannis Baptistæ in diem festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini nostri JESU CHRISTI incidat. Nos attendentes diem festum hujusmodi, quo tanti Sacramenti institutio summa totius populi Christiani lætitia colitur; è principibus anni festivitatis existere, prop-

terea de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio deinceps perpetuis futuris temporibus quoties vigiliam prædictam in dictum diem festum solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini nostri JESU CHRISTI incidere contigerit, non esse jejunandum, neque à carnibus abstinendum in die festo hujusmodi, sed anticipandum jejunium die immediatè antecedenti, nempe feria quarta, prout jejunaretur in ipsa vigilia Apost. auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Voluimus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur; quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem. J sub annulo Piscatoris die 13. Octob. 1638. Pontif. nostri anno 16. M. A. Maraldus.

Regulares ad sæcularium Confessiones, seu ad verbum Dei prædicandum semel, & simpliciter admissi per Episcopum, quando possint per eum reprobari.

LXVII.